


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lh
9
719



Sh 9.719



Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

8 Dec., 1900.

QUATENUS IN SATIRIS HORATIUS VIDEATUR IMITATUS ESSE LUCILIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

EDIDIT

AUCTOR


VICTOR ZAWADZKI

RATIBORIENSIS.

HALIS SAXONUM.

MDCCCLXXX.

Sci 9.719



Salisbury fund

De satirae Romanae auctore cum non omnia in aperto sint, non parvi profecto momenti erit cognoscere, quid Horatius, princeps in illo poesis genere de hac re senserit. Atque exstat locus Horatianus, qui hanc rem tangere videtur, sed is gravissima crux virorum doctorum fuit, cumque adhuc sub iudice lis sit, facere non poterimus, quin propius ad hunc locum accedamus.

Horatii verba (s. I 10, 64.) haec sunt

„fuerit Lucilius inquam
Comis et urbanus, fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
Quamque poetarum seniorum turba,"

quae post Heindorfium C. Fr. Hermannus[1]) ita explicat ut iudicet Horatium hoc significare: fuerit Lucilius limatior quam exspectari poterat, cum esset auctor rudis et Graecis intacti carminis. Quam explicationem primus refellit Petermannus[2]) demonstrans quamvis paulo ante (s. I 10, 48) Lucilius ab Horatio inventor satirae nominatus esset, tamen hoc nostro loco auctoris vocabulum ad Ennium referendum esse, illam vero Hermannianam explicationem et a sermonis latini legibus et a rerum veritate abhorrere. Illius sententiam probaverunt Vahlenus[3]) et praesertim Luc. Muellerus[4]). Quamquam autem hi viri docti gravissimis argumentis usi sunt ad sententiam suam firmandam, tamen mihi persuasi hoc loco neque de Lucilio neque de Ennio cogitari posse neque certum

---

[1]) Progr. acad. Marb. 1841.

[2]) De satirae Romanae auctore eiusque inventore. Hirschberg 1845/46 et postea Ueber die Satire des Ennius. Hirschberg 1850/51.

[3]) Quaestiones Ennianae p. 83.

[4]) Horat. praef. p. 40 et rursus Lucil. p. 295.

aliquem auctorem sed animo informatum accipiendum et haec verba „fuerit limatior idem, quam rudis et Graecis intacti carminis auctor" lingua vernacula vertenda esse „er sei gefeilter als der Schöpfer einer rohen und von griechischem Einflusse unberührten Dichtung" id quod Nipperdeius optime demonstravit[1]). Primum enim concedi non potest Ennium auctorem satirae dici posse, quia primus poemata vario argumento variisque numeris hoc nomine appellata composuerit, Lucilium eiusdem inventorem, quia propriam huic generi legem et normam imposuerit, nam qui paulo accuratius auctoris et inventoris notionem perpenderit, inveniet non ita diversum esse auctorem ab inventore, vel, si quod discrimen statuere licet, inventorem auctore priorem esse, quod iam Hermannus contenderat et Petermannus frustra refellere conatur. Quare Horatius, qui paulo ante (s. I 10, 48) Lucilium inventorem satirae dixerat, nunc eiusdem auctorem Ennium appellare non potuit. Immo ne cogitavit quidem de Ennio, cum de satira diceret. Nusquam enim in hac re Horatius Ennii nomen ponit sed s. I 4, 6 ubi exponit, quos secutus sit Lucilius, antiquae comoediae Atticae poetas commemorat, „hinc," inquit, omnis pendet Lucilius hosce secutus mutatis tantum pedibus numerisque" Ennium vero non nominat. Nimirum Horatius et omnes post Lucilium Romani id, quod satiram appellare consuerant, plane diversum putabant ab Enniana satura. Itaque cum saturae nomine uterentur, unam Lucilianam intellegebant, Enniana vero nisi aperto indicio adiecto omnino intellegi non poterat. Quare Horatius, cum satirae scriptores enumeraret, Ennii et Varronis Reatini mentionem non fecit, et Quintilianus (X 1, 95) primum dicit de satira, quia hoc solo nomine posito satis apparebat, quam diceret, postea ubi de Varroniana et Enniana acturus est, subicit alterum illud etiam amplius satirae genus. Similiter Diomedes (p. 482 P) discernit satiram, quae nunc dicitur et quae olim vocabatur. Iam Ennii satira ‚intactum Graecis carmen' dici non potest; quis enim affirmare poterit neminem Graecorum poemata vario argumento et variis numeris scripsisse? Deinde offendimus in turba illa poetarum seniorum, qui nimirum seniores Ennio accipiendi sunt, sed de

[1]) *Progr.* acad. Jen. 1858.

quibusnam aliis praeter Livium, Naevium, Plautum cogitari possit non facile intellegitur. Sequitur igitur ut videamus, num Horatius Lucilium auctoris vocabulo significare voluerit. Sed grammatica ratio hanc explicationem non patitur, quidquid contradicit Hermannus et sententia horum ipsorum verborum repugnat. Nam si „auctor rudis et Graecis intacti carminis" auctorem satirae significaret, non solum huius carmen sive Lucilius est, sive Ennius, rude et Graecis intactum carmen diceretur, sed totum genus, omnes satirae, quod ineptum esse apparet. Quod autem Hermannus dixit rude idem esse ac novum, rectissime reiecit Nipperdeius, cui profecto id quoque assentiemur Horatium satiram non dicturum fuisse Graecis intactum carmen, quippe qui (s. I 4, 6) totum hoc genus ab antiquis Atticorum comicis deducat. Superest igitur simplicissima et optima ratio, ut auctor quidem ille nullus sit certus poeta sed quem fuisse ponat Horatius, carmen autem non genus carminis, sed unum aliquod poema. Iam hoc dicit: concedo Lucilium esse limatiorem quam eum, qui condiderit carmen aliquod rude et in quo nulla Graecae artis vestigia insint. Eundem deinceps dicit limatiorem poetarum seniorum turba, quem comparativum iam, cum auctor ille nulla sit certa persona, necessario ad Lucilium referimus. Atque hic satis multum Lucilio tribuit Horatius, qui eum Terentio praetulerit.

Cum igitur satis demonstrasse mihi videar hoc nostro loco minime satirae auctorem significari nemo non videt ex Horatii sententia auctorem et inventorem satirae Lucilium esse.

Post Lucilium satiras scripserunt P. Terentius Varro Atacinus et quidam alii (inter quos fortasse Varronis Reatini IV satirarum libri referendi sunt), sed tam parvo eventu ut Horatius (s. I 10, 46) eos rem frustra suscepisse putet sibique secundas in satira partes vindicet.

Quoniam autem propter summam Lucilii satirarum auctoritatem fieri non potuit quin Horatius illas respiceret, operae pretium est quaerere, quonam modo hic ab illo pendeat.

Quam quaestionem ut recte instituamus, omittere non debemus, quod Horatius ipse de Lucilii satiris senserit. Quod, quamquam compluribus locis Horatius de Lucilio iudicia tulit, non in aperto positum est. Horatii enim de illo poeta iudicia nonnun-

quam discrepare videntur a iudiciis nonnullorum elegantium criticorum illius aetatis — praeter alios Ciceronem dico et Quintilianum — qui Lucilium summis laudibus extollunt ita ut hac nostra aetate extiterint, qui Horatium iniquum Lucilii vituperatorem fuisse contenderent.[1]) Hos autem nimis inique de Horatio iudicasse apparebit, cum quid ille in Lucilio reprehenderit, examinaverimus.

Tria potissimum sunt, quae Horatius Lucilio vitio vertit, primum quod versus illius duri sint et incomposito pede currant (s. I 4, 8. I 10, 1.) deinde quod lutulentus fluat et plura ferat tollenda relinquendis (s. I 4, 11. I 10, 50), tum quod verbis Latinis Graeca miscuerit (s. I 10, 20).

Asperitatem versuum Lucilianorum Horatius profectam esse putat ab eius negligentia, quoniam is

„in hora saepe ducentos
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno" (s. I 4, 9)

id tantum spectans ut multum scriberet. Idem scribendi studium significare videntur ipsius Lucilii verba „conicere in versus dictum praeconi' volebam Grani"[2]) et interpretes Horatii exemplis ex Lucilio sumptis hanc Horatii sententiam satis illustraverunt[3]). Neque tamen persuaserunt Luciano Muellero et Herwigio[4]), qui comparatis utriusque poetae versibus praeter leviores quosdam naevos nihil tam acri reprehensione dignum in Lucilii versibus invenire sibi videbantur. Quorum sententiam cum hic locus non sit accurate circumspicere, satis erit Fritzschium[5]) laudare, qui praeclarissime illorum argumenta reiecisse mihi videtur.

---

[1]) Luc. Mueller Lucilius p. 291 et M. A. Herwig. Horatius, quatenus recte iudicaverit de Lucilio. Halis 1873. p. 40.

[2]) v. 343. ceterum moneo me ubique numeros laudare editionis Lachmannianae, quam summo virorum doctorum desiderio diu exspectatam tandem in lucem protulit J. Vahlenus Berolini 1876.

[3]) cf. Wieland Horazens Satiren p. 143/144.
Orelli ad Horaz s. I 4, 8, alii.

[4]) L. Mueller Lucilius p. 291 et Herwigius, cuius dissertatio, quam supra laudavi, ab hac L. Muelleri adnotatione profecta, tota in illa re versatur.

[5]) cf. Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Alterthumswissenschaft ed. Bursian 1873, in quo libro Herwigii dissertatio recensetur a Fritzschio.

Iam nimis verbosum fuisse Lucilium et parum brevitati studuisse, cum fragmenta eius aperte declarent, omnes fere viri docti Horatio assensi sunt esse in illius carminibus, quod tollere velles, Herwigius[1]) tamen nimis argutus dubitat, utrum Horatio concedere possit, plura in Lucilii carminibus tollenda esse relinquendis. Sed licet ille nodum in scirpo quaerat, nos ut Lucilii verbositas clarius intellegatur, exempli gratia nunc ostendemus, quomodo idem argumentum a Lucilio et ab Horatio tractatum sit.

Horatii versus epist. I 1, 73

„Olim quod volpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent
Omnia te advorsum spectantia, nulla retrorsum.“

ex illis Lucilianis expressa sunt v. 919 sqq.

„leonem
aegrotum ac lassum
deducta tum voce leo ‘cur tu ipsa venire
non vis huc?
‘quid sibi vult, quare fit ut intro vorsus et ad te
spectent atque ferant vestigia se omnia prorsus?“

quibus nihil addendum esse existimo. Quod vero Graeca Latinis miscuerat, etsi per se molestum erat, cum non solum singula vocabula sed totos versus Graecos Latinis eum inseruisse fragmenta demonstrent, tamen fortasse condonasset Lucilio Horatius, sed illud ferre non poterat, quod id ipsum vitium inepti Lucilii fautores ut magnum quiddam praedicabant.[2]) Suo igitur iure haec vitia in Lucilii carminibus vituperavit neque timendum est, ne inique de illo iudicaverit, immo ipse illa vitia quodammodo temporum diversitate excusare studet. Nam cum de Lucilio haec dicat:

„ille
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum
Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.“[3])

---

[1]) Horatius, quatenus etc. p. 20/21.
[2]) cf. Hor. s. I 10, 20.
[3]) cf. Hor. s. I 10, 67.

apparet ab Horatio vitia illa non ingenio Lucilii sed aetati illius tribui, cum, quae Lucilianis temporibus placuissent, cultiore Horatii aetate hominibus elegantioribus probari iam non possent, quorum ex sententia laudabile carmen solo ingenio fieri non poterat, nisi ars quaedam carminis accessisset; quod Horatio ipsi probatum fuisse apparet ex epist. II 3, 409

Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice."

Quae cum ita sint, iam quaerat quispiam, cur tam infenso animo identidem Lucilii vitia aequalium oculis proposuerit Horatius, cum tamen ipse illius culpam diminuere studeat? Quibus respondebimus Horatium non parvi aestimavisse Lucilium sed de industria vitia eius detexisse ut eo magis appareret, quam inepta esset sententia eorum, quibus ita sanctum erat vetus omne poema, ut veteribus poetis nihil anteferrent, nihil illis compararent, quin etiam reprehenderent poemata, non quia crasse composita illepideve putarentur, sed quia nuper. Constat enim Augusti aetate Romae maximam partem criticorum nihil probavisse nisi quod Libitina sacravisset, illis autem obstitisse recentiores poetas, qui cum Graecorum elegantiam in Latium deferre conarentur veterum fautoribus improbati et levitatis arguti sunt.[1]) Quorum cum Horatius quasi antesignanus esset, non desistebat duram illam atque barbaram veterum poetarum formam carpere. Sic statuentes facile conciliare possumus Flacci iudicia cum Cicerone et Quintiliano, qui Lucilio summas laudes tribuunt. Tantum vero abest ut Horatius Lucilio obtrectet ut ipse ei non parvas laudes tribuat. Sic manifestis verbis significat (s. I 10, 48) se non audere illi detrahere haerentem capiti cum multa laude coronam, ibidem se minorem inventore dicit et (s. II 1, 75) infra Lucilii ingenium, laudat (s. II 1, 69) iustum et liberum ejus animum, quo

„Primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis"

[1]) cf. Manso Ueber Horazens Beurteilung der älteren Dichter der Römer; in Verm. Abh. und Aufsätze.

tribuit ei (s. I 4, 7; I 10, 3. I 10, 64) laudem faceti, comis et urbani et (s. I 4, 8) emunctae naris.

Postquam igitur ostendimus Horatium non parvi aestimasse Lucilii ingenium ita ut credere possimus in nonnullis illum Horatio tamquam exemplar propositum fuisse iam ad rem ipsam accedere possumus, ut, quatenus in satiris videatur illum imitatus esse, exponamus.

Ac primum Horatius ipse dicit se Lucilium toto illo poesis genere imitari (s. II 1, 28)

„me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu"

ibidemque confitetur se illum „sequi".

Quod fuere quidem,[1]) qui negarent nos ex Lucilii fragmentis demonstrare posse ideoque nos reici ad scholiastarum testimonia, sed iam Petermannus, Gerlachius, Herwigius nonnullos Horatii locos cum Lucilianis contulerunt.[2]) Qui cum obiter hanc quaestionem attigissent, Iltgenus[3]) hanc rem solam sibi disceptandam sumpsit. Cuius libellum cum saepius laudatum vidissem a nonnullis viris doctis,[4]) magna mihi exspectatio mota est, me illius vestigiis insistere posse, sed hanc spem me fefellisse intellexi, cum tandem illius scriptiunculam ipse inspexissem. Vix enim dici potest, quam temere in re tam obscura tamque difficili ille vir doctus versatus sit, et quamvis afferat nonnulla sane non contemnenda, tamen summa disputationis omnino probari non poterit, cum ille nimia fiducia elatus, certos quidem sed angustos probabilitatis fines egressus in lato vanarum coniecturarum campo spatietur. Sic nullo labore ei contigit, ut permagnum numerum locorum Lucilianorum colligeret, quos Horatio observatos esse putat. Et concedendum quidem est, argumentis non ita facile demonstrari posse imitationem quandam in locis similibus, quippe in qua re

[1]) van Heusde, Studia critica in Lucilium p. 124.

[2]) Petermann De C. Lucilii vita et carminibus. Breslau 1842. Gerlach Lucilii satirarum rell. Zuerich 1846 et praesertim De personis Lucilianis p. 30, Herwig l. c.

[3]) J. Jltgen De Horatio Lucilii aemulo Montabaur 1872.

[4]) praeter alios Fritzsche ad. Hor. serm.

alii aliud videatur, sed Iltgenum iustum coniciendi modum nimis excessisse, qui eius libellum perlegerit, facile concedet. Atque illorum, quos Iltgenus contulit, locorum similitudinem mihi saepe nullam videri, non ita premo, quoniam in tali re, nisi coniecturis locus datur, fere nihil effici potest, sed id vehementer vituperandum est, quod doctus ille vir locis allatis tam intemperanter abusus est. Tantum enim abest ut illis diligentissime circumspectis invenire studeat, qua ratione et quatenus Horatius Lucilium imitatus sit, ut reliquiis Lucilianis quamvis laceris demonstrare conetur, quod sibi iam antea persuaserat, Horatium non solum de industria singulas sententias dictionesque sed totas Lucilii satiras imitatum esse. Ad quam sententiam adductus esse mihi videtur, quod meminerat scholiastas narrare Horatium in itinere Brundisino describendo Lucilium imitari. Quod cum de industria atque paene ad verbum factum esse ex fragmentis invenisse sibi videretur, similem imitationem in ceteris quoque Horatii satiris suspicatus nullo negotio tales locos invenit, qui tres satiras Horatium a Lucilio sumpsisse, luce clarius ei demonstrabant. Talem vero imitationem quod Horatii scholiastae ne verbo quidem significant, qui tamen saepissime singula quoque vocabula a Lucilio assumpta nobis indicant, nihili facit, cum suae ipsius sententiae plus fidei tribuat quam toti antiquitatis memoriae. Quare quod nemo Horatii obtrectatorum aequalium facere ausus est, Horatium servilis imitationis insimulavit, cum diceret (p. 16) illum certos fines et modum in imitando egressum esse. Quod, quam futilibus, ne dicam ridiculis, argumentis nitatur, primo obtutu quisque videbit, sed ut magis appareat tota illius disputandi ratio, unum exemplum afferam. Cum apud Porphyrionem (ad Hor. s. I 9, 78) Lucilii fragmentum vidisset, quod cum Luc. Muellero sic legit:

„Ut φύγε discrepat ac τὸν δ' ἐξήρπαξεν 'Απόλλων“

extemplo statuit sententia huius loci neglecta Horatii verba „sic me servavit Apollo“ ex hoc Lucilii fragmento expressa esse non ex Homero, id quod iam vetus scholiasta affirmaverat. Quod cum sibi persuasisset, mox in promptu habuit, quibus se nos docere posse speraret, Lucilium quoque narrasse, quam aegre quondam tulisset molesti cuiusdam et arrogantis hominis impudentiam et pertinaciam talem, qualem Horatius s. I 9 tam lepide descripsit,

neque iam dubitat dicere ad verbum Lucilium expressum esse ab Horatio et illa:

„τὸν δ'ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων"

etiam finem satirae Lucilianae fuisse. Quae praeterea ex Lucilio Iltgenus attulit, cum non ita multum valeant ad illius sententiam confirmandam, id tantum agitur, utrum recte statuerit Iltgenus de hoc loco necne, quo everso cetera quoque stare iam non possunt. Jam cum locus ille a Lachmanno[1]) optime sic emendatus sit:

„ut vi discrepat hoc τὸν δ'ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων
ῥεῖα μάλ' ὥστε θεὸς fugit ergo"

nemo non videt, qui sententiarum nexum a Lachmanno rectissime[2]) institutum respicit, Horatium non meminisse Lucilii, sed utrumque poetam Homeri Il. 20, 443. spectasse atque hunc versum diversa ratione usurpasse, itaque praeclara illa Iltgeni coniectura collabitur. Omissa igitur Iltgeni disputandi ratione nos aliam viam ingrediemur, qua etiamsi non tam largam messem fecerimus, tamen aliquid certi afferre nos posse speramus.

Atque cum Lucilius satiris suis id ageret ut aut delectaret legentium animos,[3]) in quo carminum genere sane vita senis descripta fuit, veluti vovita tabella, aut civibus suis prodesset vitiorum quaeque notando, in duas quoque partes dividemus illos Horatii locos, qui Lucilium spectant. Exspectamus igitur Horatium libris suis Lucilii ritu tradidisse, quod boni malive in vita sibi accidisset, neque nos fallit opinio. Duo enim satirarum libri uberrimus fons nobis sunt, ex quo poetae vitam cognoscere possimus et consulto Horatius Lucilium in hac re secutus esse videtur ita ut omnes vitae suae casus libris suis committeret. Sic hi nobis pueritiam Flacci narrant in patris optimi tutela peractum, qui puerum est ausus Romam portare docendum, introducunt nos in castra Bruti et ex fuga Philippensi Romam retro, ex regia Maecenatis in villulam Sabinam; ex iis denique animam eius candi-

---

[1]) Luc. v. 308, 309.

[2]) Quidquid autem contradicunt incertam esse hanc Lachmanni coniecturam, mihi persuadere non possunt; nam quod scholiasta dicit hoc ex sexto libro Lucilii sumptum esse non ex nono id perfacile librarii errore ortum esse potest.

[3]) cf. Hor. epist. II 3, 333.

dam cognoscimus. In quo iure dolemus, quod ea, quibus vitam suam Lucilius descripserat, aetatem non tulerunt; nam certe magnam similitudinem inter haec et Horatii satiras inveniremus: nunc cum temporum iniquitas plura recusarit, reicimur ad paucissima fragmenta. Unum est v. 365

„inde venit Romam tener ipse etiamque puellus“

quod de Lucilio ipso dici, quamquam ordo fragmentorum a Lachmanno institutus hoc vetare videtur, tamen suspicari licet, praesertim si statuimus hunc locum Horàtio obversatum esse cum scriberet s. I 6, 71 sqq.

„Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere —
— — — — — — — —
Sed puerum est ausus Romam portare docendum“.

Melius hoc imitationis genus cognoscere possumus ex iis, quae nunc proferam.

Narrant enim commentator Cruquii et Porphyrio ad Hor. s. I 5. poetam illa satira Lucilium imitari, qui libro III iter suum a Roma Capuam et inde ad fretum usque Siciliense descripserit, quod fragmentis quoque eius demonstrari potest. In quo, cum uterque eadem paene via profectus esset, propter itineris similitudinem nonnulli utriusque poetae loci natura rerum similes esse debent, ut

Hor. s. I 5, 25.

„Milia tum pransi tria repimus“

Luc. v. 74.

„longe tria milia passum“

et Hor. s. I 5, 94/95.

„utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbre“

Luc. v. 88.

„praeterea omne iter est hoc labosum atque lutosum“

quae non ita magni facio ad demonstrandam imitationem; sed exstant nonnulla, quae aperte Lucilium spectare videntur. Quod in contentionem illam Sarmenti et Messii Cicirri (Hor. s. I 5, 51—69) cadere contenderim, ubi illa verba v. 56/57

„equi te
Esse feri similem dico"

a Webero et Doederlinio recte relata esse ad bestiam quandam feram, cuius figura equo similis esset, probatur Luc. v. 82

„bronchu' Bovillanus dente adverso eminulo hic est
rhinoceros velut Aethiopus".

Quod cum Lachmannus sentiret, haec verba, quae ab aliis aliter coniuncta sunt, hoc quem secutus sum ordine instituit. Nam Lucilium quoque in illius itineris descriptione duos scurras alternis opprobriis se cooperientes induxisse verisimillimum est. Cum autem Horatius more heroum Homericorum lepide scurrarum suorum maiores describat, non abest suspicio ex tali sententiarum nexu illum Lucilii versum esse v. 84.

„Non peperit, verum postica parte profudit."

Iam cum Sarmentus ob corporis gracilitatem apud Horatium derideatur (Hor. s. I 5, 68/69)

„Denique cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo"

confiteor valde mihi arridere Iltgeni (p. 11.) coniecturam, qui illud Luc. II 51.

„vix vivo homini ac monogrammo"

libro tertio tribuit et Horatio obversatum esse putat, cum illa, quae attuli, scriberet.

Huic quoque libro asserendum esse Luc. 1175

„lectum
perminxi imposuique pudendam pellibu' labem."

concludere[1]) possumus ex Hor. s. I, 5, 84.

„tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum."

Quem locum confiteor invitum me tractasse; videbam tamen non parvi momenti eum futurum esse ad Horatium defendendum ab illis, qui impudicitiam eius et libidinosam vitam ipsis carminibus satis significari putarent. Quid enim tam reprehensione dignum in Horatii carminibus, si ea, quae nostro sensu a decoro

---

[1]) cf. L. Mueller Lucilius p. 206.

atque honesto maxime abhorrent, a Lucilio illo simplicissimae morum castitatis defensore amicissimo Laelii et Scipionis ducta esse apparent? De qua re facile mihi assentieris, si ad illa moechorum et libidinosorum exempla pervenerimus, quae ex Lucilii satiris sumpsit noster. Praeterea hi loci gravissimi sunt ad demonstrandam Horatii imitationem; non enim omnia Horatio ipsi accidisse putabimus sed eum nonnulla finxisse et addidisse ut sui itineris descriptio quam simillima fieret Lucilianae quam omnibus probatam intellegebat.

Ex hoc quoque libro illud Lucilii fragmentum est,[1]) quod fertnr apud Lachmannum 1023

„mantica cantheri costas gravitate premebat"

quod Horatius imitatus est s. I. 6, 106

„Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos."

Venio nunc ad alterum illud imitationis genus, quod in carpendis hominum vitiis atque perversitatibus versatur. Qua in re apparebit utrumque poetam similibus nonnunquam sententiis et exemplis aequalium avaritiam, libidinem, luxuriam, perversum philosophandi studium notasse.

Ac cum Horatius satira I libri I avaritiam aequalium carpat, nonnullos Lucilii locos cum hac satira componemus. Sic Lucilii haec fragmenta v. 182—184

„nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
hoc sat erat: nunc cum hoc non est, qui credimu' porro
divitias ullas animum mi explere potisse?"

v. 490

„denique uti stulto nil sit satis, omnia cum sint"

v. 491

„rugosi passique senes eadem omnia quaerunt"

cum iis, quae Horatius s. I, 1, 18—72 scripsit comparari possunt, quamquam non unum aliquem versum Horatianum hic afferre audeo.[2])

---

[1]) Id quod iam Dousa coniecit cf. L. Mueller p. 14.

[2]) Hic moneo magnam partem locorum Lucilianorum, quos attuli, in commentariis ad Horatium et Lucilium non inveniri, sed a me primo collatos esse cum locis Horatianis.

Alios versus angustioribus finibus circumscribere licet. Cum enim talia legamus apud Luc. v. 135

„Tantalu', qui poenas ob facta nefantia pendit"

facere non possumus quin statuamus Lucilium his verbis avari cuiusdam hominis imaginem, qui sacra fame auri vexaretur, expressisse; eandem nunc imaginem hoc quem indicavi sensu Horatius praebet s. I 1, 68

„Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina"

Cum Luc. 486/487

„milia dum centum frumenti tolli' medimnum,
vini mille cadum"

et 483

„aeque fruniscor ego ac tu"

conferas s. I 1, 45/46

„Milia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus".

Ad Luc. 495/496

„sic tu illos fructus quaeras, adversa hieme olim
quis uti possis ac delectare domi te"

pertinent, quae Horatius (s. I 1, 36—38) iis, qui formicae exemplo avaritiam suam excusare student, obicit:

„Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit et illis utitur ante
Quaesitis sapiens."

Magnam similitudinem prae se ferunt Luc. 1067

„tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis"

(ubi Dousae coniecturam „quantum habeas" probaverim) et Hor. s. I 1, 62

„‚Nil satis est' inquit, ‚quia tanti, quantum habeas, sis.'"

Apud Horatium s. II 3, 153/54 medicus avarum quendam senem monet

„Deficient inopem venae te, ni cibus atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti"

et similis fuisse videtur sententia apud Lucilium v. 681

„fulmentas vencis atque animeis subducere".

Ad avaritiam quoque pertinet Hor. s. II 5 in qua Ulixes inducitur Tiresiam apud inferos consulens, quonam modo sibi magnas

divitias parare possit, et simile argumentum fuisse videtur apud Lucilium. Quod iam Iltgenus statuerat, qui (p. 13) ad Horatii (s. II 5, 21) verba:

„Tu protinus, unde
Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos“

haec Lucilii (v. 901) verba attulit

„ruis hoc, et colligis omnia furtim.“

Quod, si verba recte ita scripta essent, probari poterat viris doctis;[1]) verum cum Lachmannus ex sententia Nonii verborum, apud quem haec habentur, hunc locum sic emendarit:

„ruis huc et colligis omnia furtim“

collabitur nimirum illa similitudo. Quam equidem invenisse mihi videor imitatio alio loco confirmatur. Cum enim apud Horatium s. II 5, 75—83 Tiresias iocose Penelopes castitatem derideat, facere non possum quin legens Luc. 479/80

„nupturum te nupta negas, quod vivere Ulixen
speras“

illius loci Horatiani meminerim, quem ab hoc pendere mihi persuasi.

Quod porro propter foeditatem et perversitatem avaritiae Horatius iterum iterumque cives suos monebat ut contenti suis rebus essent neve aliorum divitiis inviderent, quam solam ad beate vivendum viam esse, in hoc quoque Lucilii vestigiis eum insistere demonstrare possumus. Haec enim Luc. v. 478

„proprium nil neminem habere“

et Luc. 664/65

„cum sciam nil esse in vita proprium mortali datum,
iam, qua tempestate vivo, chresin ad me recipio“

non possunt non referri ad Hor. s. II 2, 129—135

„Nam propriae telluris herum natura nec illum
Nec me nec quemquam statuit
— — — — — — — —
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii.“

---

[1]) cf. Fritzsche ad Hor. II 5, 21.

Aliud vitium, in quod Lucilii exemplo noster acerrime invehebatur, voluptas corporis erat. Quam tamen non omnino vituperavit; sed cum more aetatis suae facilem parabilemque venerem amaret, eos solos carpebat, qui vel matronas vitae bonorumque periculo sectabantur, vel in meretricum amore nec famae nec rei familiari parcebant. Imprimis huc pertinet Hor. s. I, 2. Quod carmen cum propter morum foeditatem non possit non legentium animos offendere, tamen ipsa re, quam mihi proposui illustrandam coactus omittere non potui, praesertim cum, ut jam supra dixi, minuatur Horatii culpa, si demonstrari potest eum, qui uni aequus virtuti atque ejus amicis esset neque ullam morum pravitatis suspicionem subiisset, iam antea simile argumentum tractasse eiusque fortasse auctoritate nisum Horatium haec scribere ausum esse. Ad quam sententiam eo maxime adducor, quod saepissime rerum obscenarum mentio fit in Lucilii reliquiis, quamvis lacerae sint. Sed ut ad rem ipsam veniamus, nunc afferam, quae in componenda sat. I, 2 ex Lucilii satiris Horatio obversata esse videntur, quibus certos Horatii locos appingam, ubi certior apparebit similitudo. Porphyrio ad Hor. s. I 2, 125

„Haec ubi supposuit dextro corpus mihi laevum"

adnotat: hoc est, quod Lucilius ait in V (v. 198 edit. Lachm.)

„et cruribu' crura dialláxante"

Luc. 179

„macte, inquam, virtute simulque his viribus esto"

Hor. s. I 2, 31/32

„Macte
virtute esto! inquit sententia dia Catonis"

Luc. 230

„hunc molere illam autem ut frumentum vannere lumbis"

Hor. s. I 2, 35

„Permolere uxores".

Iltgenus ad hunc locum attulit Hor. s. II 7, 49/50

„Quaecumque excepit turgentis verbera caudae
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum."

Luc. 271

„lena manu lacrimas mutoni absterget amica"

Hor. s. I 2, 68

„Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret haec animus."

Cum tota denique illius satirae sententia optime congruunt tria haec fragmenta:

Luc. 1049

„qui et poscent minus et praebebunt rectiu' multo
et sine flagitio"

ceterum hic Baehrensio[1]) assentior, qui scribendum proponit

„quae et poscent minus —"

ita ut meretriculae intellegendae sint non catamiti.

Luc. 1037

„hic corpus solidum invenies, hic stare papillas
pectore marmoreo"

Luc. 1032

„nunc tu
contra venis, vel qui in nuptis belle esse neges te;
nec sine pernicie"

quod fragmentum, quamvis corruptum sit, tamen eam sententiam inesse verbis corruptis apparet, ut hoc loco praeteriri nequeat. Quod facile concedes etiamsi improbes Baehrensii (l. c.) coniecturam;

„nunc tu
probra velis? qur in nuptis, insulse neces rem
nec sine permitie?"

quae ad sententiam quidem accommodata tamen audacior iusto videtur. Sicut libidinis ita luxuriae quoque et pravi victus quotidiani exempla ex Lucilio nostrum hausisse vix negabis, etiamsi nonnulla eorum, quae nunc componam, magis ex proverbii usu prodiisse quam imitationem significare videantur. Ut Horatius s. II 8 cenam inepti cuiusdam hominis irridet, qui quamvis spurcus tamen divitiis suis se iactabat, sic simile argumentum a Lucilio quoque tractatum esse haec fragmenta docent.

Luc. 162—165

„flebile cepe simul, lacrimosaeque ordine tallae,
intibu' praeterea pedibus perserpsit equinis.
adipatam
pultem"

---

[1]) Emendationum Lucilianarum dodecas (Rhein. Mus. 1874).

Luc. 1128.

„fici comeduntur et uvae.
adsiduas ficos";

in eadem illa satira v. 10—11 Horatius haec habet:

„His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit"

quae pertinent ad Lucilium 517

„purpureo tersit tum latas gausape mensas."

Cum Luc. 627

„insanum vocant, quem maltam ac feminam dici vident"

suspicari licet cohaerere Hor. s. I 2, 25

„Maltinus tunicis demissis ambulat."

Cenarum nimiam luxuriam acerbissime uterque castigat:
Luc. 846

„atque omnes mandonum gulae"

Hor. s. II 2, 39/40

„'Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem' ait Harpyiis gula digna rapacibus."

Luc. 1002

„o Publi, o gurges, Galloni, es homo miser inquit.
cenasti in vita numquam bene, cum omnia in ista
consumis squilla atque acipensere cum decumano"

Hor. s. II 2, 47

„Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis."

Luc. 659

„cocu' non curat caudam insignem esse illam, dum pinguis siet"

Hor. s. II 2, 27

„Num vesceris ita
Quam laudas pluma? cocto num adest honor idem?"

Luc. 1181 d

„illum sumina ducebant atque altilium lanx
hunc pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo"

Hor. s. II 2, 31

„Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet? pontesne inter iactatus an amnis
Ostia sub Tusci?"

Nec non rei culinariae studiosos ambo lepide derident, eorum praecepta perstringentes
Luc. 1062

„luna alit ostrea et implet echinos, muribu' fibras
et pecui addit"

Hor. s. II 4, 30

„Lubrica nascentes implent conchylia lunae."

Jam cum uterque philosophiae praeceptis imbutus esset, eos quoque vellebant, qui illi perverse studebant, imprimis stoicorum ineptos aemulos.
Luc. 826

sarcinatorem esse summum, suere centonem optume"

et Luc. 1172

„non dum etiam, qui haec omnia habebit,
formosus dives liber rex solu' vocetur"

Hor. s. I 3, 124/125

„Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex."

Addamus Porphyrionis scholiastae adnotationem ad Hor. s. II 3, 41, qui ad verba: „Primum nam inquiram, quid sit furere" addit: Ostendit, quid sit furor ut Lucilius. Ex quibus conicere possumus Lucilium stoicorum docendi rationes derisisse et Horatium id respexisse, cum hanc satiram scriberet.

Cum denique Horatius saepissime id ageret ut aequalium iudicia de antiquioribus poetis corrigeret eorumque ineptos laudatores castigaret, id Lucilii exemplo eum fecisse videmus, qui veteres poetas saepius irridebat. Quod cum Horatii s. I 10, 53/54 eiusque scholiastarum testimonio confirmatur tum fragmenta illius ipsa demonstrant, quorum rei illustrandae causa duo afferam. Sic Luc. v. 170

„lascivire pecus nasi rostrique repandum

hunc Pacuvianum versum carpit (408 ed. Ribbeck)

„Nerei repandi rostrum incurvicervicum pecus"

et Luc. v. 500

„latere pendens, saxa spargens tabo sanie et sanguine atro"

quod ex Ennii Thyeste sumptum Cicero testatur (Tuscul. disput. I 44) ridet Enni versus gravitate minores.[1])

Ut autem Horatius in vitiis perstringendis nonnunquam eadem Lucilio vitiorum exempla usurpavit, sic personas quoque Lucilianas in satiras suas transtulit.

Ex quibus primus nominandus est Gallonius, de cujus luxuria infami iam supra diximus Luc. 1002 comparantes cum Hor. s. II 2, 47. Accedunt Maenius et Nomentanus, quos personas Lucilianas fuisse praeter scholiastarum testimonia haec quoque fragmenta docent

Luc. 1170

„columnam

Maeniu' cum peteret"

et Luc. 69

„qui te, Nomentane, malum iam [cetera] perdat"

omisso v. 57, ex quo Scaliger conjectura Nomentani nomen elicere conatus est, cum codices haec praebeant:

„nunc nomen jamque ex testibus ipse rogando
exculpo, haec dicam."

Apud Horatium Maenius carpitur, qui rem suam familiarem celeriter absumpserat (epist. I, 15, 26), componitur cum Nomentano nepote (s. I 1, 101): carpebat ille Novium absentem, sibi ignoscebat (s. I 3, 21—23).

Nomentanus, qui s. I 1, 101 cum Maenio comparatus erat, componitur s. I 8, 11 et s. II 1, 21 cum Pontolabo scurra, solus memoratur s. II 3, 226, Nasidieni conviva est s. II 8, 23. Jam cum apud Horatium Nomentanum modo cum Maenio modo cum Pantolabo compositum videamus, probari nobis poterit, quod scholiastae narrant, Maenium cognominatum fuisse Pantolabum, ex quo conicere possumus Horatium illas personas Lucilianas pro exemplis hominum luxuria perditorum una semper posuisse. Sed cum non ita aperta et dilucida sint, quae scholiastae narrant, qui omnes narratiunculas de personis Horatianis vulgatas, undecunque desumptae erant, ratione critica non satis accurate adhibita memoriae tradiderunt, dubitationes motae sunt viris doctis, utrum

---

[1]) De hac re Gellium quoque (17, 21) conferas.

ex Lucilio sumpserit Horatius illas personas, an duo eiusdem nominis nebulones statuendi sint, qui diversis temporibus fuerint.[1]) Atque Nomentanum Horatii aequalem fuisse ex eo concludunt, quod scholiasta narrat Sallustinum cocum Nomentani summo pretio conduxisse, quam narratiunculam rectissime Luc. Muellerus[2]) abiecit, scholiastae fidem imminuens. Quod vero putant, illum versum (s. II 1, 22).

„Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem"

intellegi non posse, nisi ad aequales quosdam Horatii referatur, concedo id quidem; sed nulla ratione efficitur hunc Pantolabum et Nomentanum Horatii aequales fuisse; immo nihil obstat quin sumamus Horatium illorum nominibus vera aequalium suorum nomina obtexisse ita tamen ut a plerisque agnoscerentur. Atque idem hoc in illum Nomentanum cadit, qui s. II 8, 23 inter Nasidieni convivas commemoratur, in quam sententiam iam Estrée inclinavit.[3]) Pacideiani gladiatoris, cuius cum Aesernino singulare certamen Lucilius v. 138 sqq. memorat, Horatius mentionem inicit s. II 7, 97 sqq.

„Aut Pacideiani contento poplite miror
Proelia."

Polemonis philosophi uterque meminit,
Luc. 685

„Polemona amavit, morte huic transmisit suam
scholen quam dicunt,"

Hor. s. II 3, 253

„faciasne quod olim
„Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri."

Non diversus deinde videtur, qui a Lucilio v. 358 memoratur, Opimius ab illo, quem Hor. s. II 3 142 carpit. Fuerunt quoque

---

[1]) De hac re imprimis conferendi sunt Estrée, Prosopographia Horatiana p. 555 sqq., van Heusde Studia crit in Luc. p. 228 sqq., Kirchnerus et Teuffelius in commentariis ad illos locos.

[2]) ad Lucilium p. 296.

[3]) Estrée, prosopogr. Hor. p. 556.

qui Bestium[1]) epist. I 15, 37 et Novios[2]) s. I 3, 21; 6, 121 ex Lucilio assumptos putarent. Orellius vero totum hunc versum s. II 1, 70

„Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis"

Lucilianum esse voluit, cui addit Gerlachius[3]) hunc s. I 2, 27 et s. I 4, 92

„Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum;"

eodem pertinet s. II 1, 22 et s. I 8, 11

„Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem"

quem mihi persuasum est ex Lucilio fluxisse.

Praeterea singulae etiam dictiones Horatii Lucilianam memoriam redolent. Sic conferri possunt

Luc. 1174

„Valeri sententia dia"

Hor. I. 2, 32

„sententia dia Catonis;"

Luc. 254/55

„servorum est festu' dies hic,
quem plane hexametro versu non dicere possis"

Hor. s. I 5, 87

„oppidulo, quod versu dicere non est;"

Luc. 428

„insanum hominem et cerebrosum"

Hor. s. I 5, 20

„donec cerebrosus prosilit unus;"

Luc. 676

„hinc ad me, hinc licet
anu' rursum ad armillum"

Hor. s. I 1, 17

„hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
Quid statis? — — nolint."

---

1) cf. Weichert poetarum lat. rell. p. 421.
2) Duentzer Hor. sat. p. 115.
3) De personis Lucil. p. 28.

Luc. 1070

„gustavi crustula solus“

Hor. s. I 1, 25

„ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores;“

Luc. 1181g

„Brutace bilingui“

Hor. s. I 10, 30

„Canusini more bilinguis.“

Ad Hor. s. I 7, 23

„laudat Brutum laudatque cohortem“

scholiasta adnotat: cohortem dicit comites Bruti, qui in consilio eius erant, sic et Lucilius ait v. 1177

„ut praetori' cohors, ut nostris dixit aruspex;“

Luc. 460

„ibat forte aries“

Hor. s. I 9, 1

„Ibam forte via sacra;“

Luc. 1092

„nunc ad te redeo, ut quae res me impendet agatur“

Hor. s. I 6, 45

„nunc ad me redeo,“

s. I 7, 9

„ad Regem redeo.“

Haec sunt, quae ex Lucilii fragmentis et Horatii satiris diligentissima comparatione instituta similia eruere potui, satis multa, si in mentem tibi revocaveris, quam pauca adhuc de ea re allata sint, et consulto me abstinuisse a talibus, qualia Horatii satiras diligenter perscrutanti non possunt non Lucilii memoriam revocare neque tamen, quoniam in mero lectoris sensu posita sunt, per se satis certa sunt.[1]) Quamvis autem, si integra Lucilii carmina aetatem tulissent, multo etiam certius de utriusque satira iudicia ferre possemus et maiore locorum similium copia reperta Horatii imitandi studium clarius appareret, tamen ne sic quidem prorsus

[1]) cf. Gerlach De pers. Lucil. p. 30.

destituti sumus, sed iam iis quae contuli ex utriusque poetae carminibus id certe consecutus esse mihi videor ut illustrarem locum illum Horatianum (s. II 1, 34) ubi se Lucilium sequi dicit. Apparet enim ex iis, quae diximus, nos neque cum Heusdio facere posse, qui omnem hanc quaestionem, qua nihil certi effici posse putat, ut prorsus inutilem abicit, neque vero cum Iltgeno, qui Horatium in numerum servilium imitatorum, quos ille ipse (epist. I 19, 19) acerbissime carpit, referre non dubitat.

Sed quamvis ad satiras referri non possint, quae l. c. poeta de se praedicat:

„Libera per vacuum posui vestigia princeps
Non aliena meo pressi pede,“

tamen talem esse eius imitationem loci collati demonstrant, quali summo cuique poetae semper uti licuit semperque licebit. Nam cum Horatius natura et doctrina ad satiram propensus esset, et ad id quidem satirae genus, quod Lucilius invenerat et Horatio ipso iudice non sine laude tractaverat, profecto fieri non potuit ut illum prorsus neglegeret, sed cum aperte confessus esset se Lucilii scribendi more delectari nimirum illius morem ipse quoque secutus est. Quo fit ut apud utrumque locos inveniamus, quibus amicis varios vitae suae casus lepide narrent vel aetatis suae vitia acerbissime carpant. In quo certe mirum videri non debet, quod quaedam a Lucilio desumpta Horatius in usum suum convertit, quae illi aut facete dicta videbantur aut maiorem vim accipiebant, si Lucilii auctoritate nitebantur. Quod vero singulae quoque dicendi formulae aperte Lucilium spectant, id memoriae magis vigore quodam, quam de industria factum crediderim, quoniam nonnunquam id fieri solet, ut ii, qui toti ad unum aliquem scriptorem cognoscendum incubuerunt, vel inscii illius more loquantur.

Satis igitur demonstrasse mihi videor Horatium non servilem Lucilii imitatorem fuisse, id quod iam ex eo satis apparet, quod Horatius saepissime in servum imitatorum pecus invehitur et iuniores poetas monet ne nimis in imitando curent verbum verbo reddere tamquam fidi interpretes, quod certe facere non potuisset, si sua ipsius imitatione hoc praeceptum neglexisset neque tam lenes fuisse Horatii obtrectatores crediderim ut tale vitium illi condonarent.

Quamquam autem pro viribus meis in hac re enisus sum ut verum indagarem, tamen non ignoro, quam multa adhuc virorum doctorum doctrinae atque acumini diiudicanda reliquerim; sed si omnino hanc de Lucilii Horatiique satira quaestionem adiuvero, iam hoc satis mihi erit, nam

in magnis voluisse sat est.

CORRIGENDA.

pg. 11 alin. 10 pro ὥϛτε lege ὥςτε.
„ „ „ 20 „ vovita „ votiva.

VITA.

Victor Zawadzki natus sum Ratiboriae a. d. XVIII cal. Mart. a. h. s. LIV patre Franzisco matre Rosa e gente Richteriana, quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fide initiatus sum catholica. Prima literarum elementa cum in ludo communi Ratiboriensi didicissem, duodecimum annum agens gymnasium urbis nostrae adii, quod per novem annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus a. LXXIV h. s. Berolinum me contuli ut civibus universitatis Fridericae Guilelmae adscriberer. Hic per septies sex menses scholis interfui vv. cll. Bonitzii Curtii Droyseni Geigeri Gepperti Huebneri Kieperti Kirchhoffii Kleinerti Mommseni Mullachii Nitzschii Treui Vahleni Wattenbachii Zelleri. Sodalis seminarii philologici ordinarius per bis sex menses fui ibique usus sum disciplina Kirchhoffii et Vahleni.

Praeterea interfui exercitationibus philologicis a Kirchhoffio, historicis a Nitzschio institutis. Quibus viris doctis omnibus gratias quam maximas et nunc ex animo ago et semper habebo.

Mense Februario a. LXXIX h. s. examine pro facultate docendi Berolini feliciter superato Gubenum et sex mensibus post Ratiboriam missus sum ut in gymnasiis illarum urbium publicae scholae usum ac disciplinam experirer.

Quo anno peracto, mense Aprili h. a. Soraviam devocatus sum, ubi in numero gymnasii praeceptorum, extraordinarii munere fungor.



FEB 26 1934

DUE JAN 16 1930

Lima (Ohio)
Pub 2/7/41


Lh 9.719
ouatenus in satiris Horatius videat
Widener Library 007001820
3 2044 085 205 243